

## CIC/1917, can. 0265-0270

"Can. 265. Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos cum vel sine ecclesiastica iurisdictione mittendi.

Can. 266. Dicitur Legatus a latere Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam alter ego cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est.

Can. 267. § 1. Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii:

1. Fovent, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur;

2. In territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiores reddere;

3. Praeter has duas ordinarias potestates, alias plerumque facultates obtinent quae tamen sunt omnes delegatae.

§ 2. Qui vero mittuntur cum titulo Delegati Apostolici unam habent ordinariam potestatem de qua in § 1, n. 2, praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas.

Can. 268. § 1. Legatorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis non exspirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis fuerit statutum.

§ 2. Cessat autem, expleto mandato, revocatione eisdem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata.

Can. 269. § 1. Legati Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquunt.

§ 2. Licet forte characterem episcopalem careant, praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitiam dignitate insigniti.

§ 3. Si characterem episcopalem sint aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quumque throno et baldachino, peragere.

Can. 270. Episcopis qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius."

### Quellen:

1917 Codex Iuris Canonici, cann. 265-270, in: [www.jgray.org/](http://www.jgray.org/) (Letzter Zugriff am: 08.03.2016).

Codex Iuris Senior, cann. 265-270, in: [www.catho.org](http://www.catho.org) (Letzter Zugriff am: 08.03.2016).

GASPARRI, Pietro (Hg.), Codex Iuris Canonici Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus, Rom 1917, cann. 265-270, S. 72-73, in: [archive.org](http://archive.org) (Letzter Zugriff am: 08.03.2016)

**Empfohlene Zitierweise:**

CIC/1917, can. 0265-0270, in: 'Kritische Online-Edition der Nuntiaturberichte Eugenio Pacellis (1917-1929)', Schlagwort Nr. 1176, URL: [www.pacelli-edition.de/Schlagwort/1176](http://www.pacelli-edition.de/Schlagwort/1176). Letzter Zugriff am: 09.08.2024.